

Werk

Titel: Analecta

Autor: Haupt, M.

Ort: Berlin

Jahr: 1867

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098_0002|log5

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

✉ info@digizeitschriften.de

ANALECTA.

XXVIII. Quod t. i p. 254 de Aeneae Poliorceticorum capite altero dixi Kirchhoffius p. 449 verissime redarguit. itaque ut culpam, si possim, redimam alia eiusdem capitis verba nunc tractabo. *Λακεδαιμόνιοι δὲ Θηβαίων ἐμβαλόντων ἔκ τε τῶν ἐγγυτάτω οἰκιῶν διαλύοντες καὶ ἔκ τῶν αἵμασιῶν καὶ τειχῶν ἄλλοι κατ' ἄλλους τόπους φορμὸς γῆς καὶ λίθων πληροῦντες, φασὶ δὲ καὶ τοῖς ἔκ τῶν ἱερῶν χαλκοῖς τρίποσιν, ὄντων πολλῶν καὶ μεγάλων, χρησάμενοι καὶ τούτοις προαποπληρώσαντες τὰς τε εἰσβολὰς καὶ τὰς διόδους καὶ τὰ εὐρύχωρα τοῦ πολέματος ἐκώλυσαν τοὺς εἰσβάλλειν ἐπιχειροῦντας εἰς αὐτὸ τὸ πόλισμα.* excidit quod in domibus dissolvisse Lacedaemonios narraverat. quod Haasio olim in mentem venit, scripsisse fortasse Aeneam *χερμάδια λύντες*, dudum eum abiecissee non dubito. nihilo autem melius est quod nuper Aeneae satis confidenter tributum est, *πλινθία λύντες*. scribendum certe erat *πλίνθους*. Germanicam interpretationem, quae ne hoc quidem recte exprimit, nihil moror. certum narrationis complementum vereor ne non possit inveniri: sed mirum tamen esset si ex domibus non conportassent Lacedaemonii tabulas et tigna, quibus in obstruendis oppidi aditibus commodissime uti poterant. itaque nata mihi est haec coniectura, incerta sane et fortasse fallax, scripsisse Aeneam *ἔκ τε τῶν ἐγγυτάτω οἰκιῶν ἱερὰ λύντες*. sed quod postea dicitur *ὄντων πολλῶν καὶ μεγάλων*, id molestissima oratione displicet, neque multum prodest *τούτων* post *ὄντων* nuper insertum: nimirum remanet inpeditus sermo, quo non est veri simile Aeneam usum esse, cum posset hoc planissimo, *οὔσι πολλοῖς καὶ μεγάλοις*. suspicor scribendum esse *τοῖς ἔκ τῶν ἱερῶν χαλκοῖς τρίποσιν, ὅγκῳ πολλῷ καὶ μεγάλῳ, χρησάμενοι*.

Capite 22 6 Aeneas narrat non nullos suadere ut noctibus hibernis et obscuris lapides de muris proiciantur et qui iaciant, quasi aliquos videant, interrogent qui sint: sic enim fieri ut animadvertantur

siqui adpropinquent. tum haec addit, quae in libro Mediceo valde depravata sunt, οἱ δὲ τινες τοῦτο φασὶ βλαβερόν εἶναι· τοὺς γὰρ προσιόντας τῶν πολεμίων ἐν τῷ σκότει προαισθάνεσθαι οὐ προσπηγαῖον ἐστὶ διὰ τὴν φωνήν τε τῶν περιόδων καὶ τὸ βάλλειν, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸν σιγώμενον τόπον. ubi monstrosum illud προσπηγαῖον legitur Casaubonus, ut erat homo modestus et candidus, adscripsit magnum esse et per ingenium suum *δυσίατον* vulnus. postea extiterunt qui minus sibi diffiderent: sed quae protulerunt inepta sunt et non uno nomine indigna quae refutentur. equidem ipsam qua Aeneas usus est orationis formam non praesto (nam addendum est non nihil, potest autem quod deest non uno modo compleri), sed προσπηγαῖον illud certa mihi videor corrigere posse emendatione. ipsa enim sententia haec fere postulat, τοὺς γὰρ προσιόντας τῶν πολεμίων ἐν τῷ σκότει προαισθάνεσθαι <ὅτι ἐνταῦθα> οὐ προσιτητέον ἐστὶ διὰ τὴν φωνήν τε τῶν περιόδων καὶ τὸ βάλλειν, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸν σιγώμενον τόπον. non multum inter se differunt ΠΡΟΣΙΤΗΤΕΟΝ et ΠΡΟΣΠΗΓΕΟΝ, magna autem pars mendorum quibus hic liber inquinatus est ex illa litterarum specie orta est. deinde ε et αι in eodem hoc libro saepius permutata esse constat. denique quod illa, διὰ τὴν φωνήν τε τῶν περιόδων καὶ τὸ βάλλειν, dirempta sunt ab eo verbo ad quod pertinent nullam in Aeneae sermone habet offensionem.

XXIX. Non indigna mihi videntur esse commemoratione quae Lachmannus in Gromaticis suis p. 251 ex libro Arceriano protulit et simul emendavit. *geometra. pyrrus magnus* (leg. *Magnes*) *arestyllydes* (leg. *Aristylli duo*) *apollonius pyrrus geometra in atro* (leg. *Arato*) *dixit principium stum* (i. e. *istud*) *a iouem* (immo *ex Ioue*) *incipiamus falsum dicit. quoniam ex iouem non ad iouem ordinamus* (i. e. *quoniam a Ioue, non ex Ioue ordiamur*) *euclidis sculus arismetica scribsit.* rectissime Lachmannus omnia interpretatus est. nimirum in vita Arati quam post Victorium Petavius in Uranologio edidit p. 273 sive apud Buhlium in Arato t. II p. 437 haec narrantur, ἐπικαλοῦσι δὲ αὐτῷ τὴν ἐκ πρόθεσιν ἀντὶ τῆς ἀπό παρεληφότι· ἔδει γὰρ φασιν εἰπεῖν “ἀπὸ Διός.” ἀγνοοῦσι δὲ ὅτι καὶ Πίνδαρος κατεχρήσατο τῷ ἔθει τούτῳ, λέγων “ὄθενπερ καὶ Ὀμηρίδαι ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πολλὰ ᾄδοι ἀρχονται, Διὸς ἐκ προοιμίου,” καὶ Ἀλκμάν “ἐγὼ δὲ αἰ σοι με ἐκ Διὸς ἀρχόμενα (ἐγὼ δ’ αἰσομαι ἐκ Διὸς ἀρχόμενος Valckenarius, ἐγὼ δέ γ’ αἰείσομαι ἐκ Διὸς ἀρχόμενα Bergk).” ἄλλως δὲ καὶ τὸ ἀπὸ δύσφημόν

ἔστιν, ὡς εἴ τις λέγοι ἄποθεν. nulla ibi Pyrrhi mentio fit: sed apud Petavium p. 267 enumerantur οἱ περὶ τοῦ ποιητοῦ συνταξάμενοι, inter quos sunt Ἀπολλώνιος γεωμέτρης, Ἀρίστυλλοι δύο γεωμέτραι, Πύρρος Μάγνης. postea (nam confusa est illa enumeratio e pluribus) rursus nominantur Ἀρίστυλλος μέγας, Ἀρίστυλλος μικρός. Pyrrhus Magnes aliunde mihi non notus est. Aristyllorum alterius utrius mentionem facit Ptolemaeus initio libri Mathematicae syntaxeos vii p. 164 Bas., t. ii p. 2 Halmae, ubi dicit Hipparchum de motu stellarum fixarum coniecisse potius quam adfirmasse διὰ τὸ πάνυ ὀλίγαις πρὸ ἑαυτοῦ περιτετυχημένοι τῶν ἀπλανῶν τηρήσεσι, σχεδὸν τε μόναις ταῖς ὑπὸ Ἀριστύλλου καὶ Τιμοχάριδος ἀναγεγραμμέναις καὶ ταύταις οὔτε ἀδιστάκτοις οὔτ' ἐπεξεργασμέναις. commemorat deinde Aristyllum p. 168 et 169 Bas., 17 et 18 Halmae. Apollonius non dubitaverim quin intellegendus sit Pergaeus. Euclides geometres qua patria fuerit nullo, quantum scio, vetere testimonio constat: num credendum sit Siculum eum fuisse doctioribus explorandum relinquo. illa autem eorum qui de Arato commentati sunt enumeratio pariter atque variae quae extant Arati vitae remansit ex plenioribus olim scholiis, neque mirum est inde aliquid Arceriano libro admixtum esse. nam Latinae linguae ad barbariem vergentis temporibus in Latinorum hominum scholis fuisse aliquem commentariorum illorum usum vetus vitae Arati interpretatio docet quam Iriartes in catalogo codicum Graecorum bibliothecae Matritensis edidit. extant eius interpretationis conplura alia exemplaria eaque valde antiqua.

XXX. Vergilius Georg. iv 360, postquam dixit Cyrenen ut Aristaeus filius ad se adire posset flumina discedere iussisse, ita pergit, *at illum Curvata in montis faciem circumstetit unda Accepitque sinu vasto misitque sub amnem.* montis imaginem interpretes dicunt sumptam esse ex eis quae in Odysseae xi 243 de Neptuno et Tyro Salmonei filia narrantur, πορφύρεον δ' ἄρα κῦμα περιστάθῃ, οὔρεϊ ἴσον, Κυρτωθέν, κρύψεν δὲ θεὸν θνητὴν τε γυναικα. sed memorabile est quod in scholiis Bernensibus a Muellero editis ad Vergilii carmen adscriptum est, *hunc versum ex Hesiodi gynecon transtulit.* de qua re eo minus dubitabimus quo certius est de Cyrene et Aristaeo in carmine Hesiodio narratum esse. cuius narrationis ipsum initium servatum est in scholiis in Pindari Pyth. 9 6, ἢ οἶη Φθίῃ Χαρίτων ἄπο κάλλος ἔχουσα Πηγείοῦ παρ' ὕδωρ καλὴ ναίεσκε Κυρήνη, Aristaeum autem Servius in Georg. i 14 narrat ab Hesiodo dici Apollinem pasto-

ralem: v. Marckscheffellii Fragn. Hes. p. 335 s. Eoeas vero constat *Καταλόγου* vel *Καταλόγου γυναικῶν* nomine saepius comprehendi. videtur igitur versus aut idem Eoeis cum *Odyssea* communis aut saltem similis in utroque carmine fuisse.

XXXI. Vitium est in eis quae in Xenophontis Commentariis 1 11 vulgo leguntur. οὐδείς δὲ πώποτε Σωκράτους οὐδὲν ἀσεβές οὔτε ἀνόσιον οὔτε πράττοντος εἶδεν οὔτε λέγοντος ἤκουσεν. οὐδὲ γὰρ περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως ἥπερ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι διελέγετο σκοπῶν ὅπως ὁ καλούμενος ἐπὶ τῶν σοφιστῶν κόσμος ἔχει καὶ τίσιν ἀνάγκαις ἕκαστα γίνεται τῶν οὐρανίων, ἀλλὰ καὶ τοὺς φροντίζοντας τὰ τοιαῦτα μωραίνον-τας ἀπεδείκνυ. pertinent huc quae Gellius Noct. Att. xiv 3 dicit, — Xenophon in libris quos dictorum atque factorum Socratis commentarios composuit negat Socratem de caeli atque naturae causis rationibusque umquam disputasse. et apud Gellium quidem recte omnia prolata sunt: quod apud Xenophontem legimus, Socratem de rerum natura non ea ratione qua ceteros plerosque disputasse, non potuit recte dici, sed dicendum erat illud ipsum quod Gellius Xenophontem dixisse narrat, non disputasse omnino Socratem de rerum natura. itaque qui in eis quae apud Xenophontem scripta sunt adquieverunt non videntur reputasse quo discrimine inter se differant ἥπερ et ὥσπερ. fuit qui hoc reputaret, sed diceret Socratem abhorruisse quidem ab ea ratione qua physici philosophi de rerum natura disputabant, verum in disputationibus quae ad mores pertinerent non defugisse eum naturalium rerum commemorationem. qui non satis perpendit, ne alia opponam, quid esset περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως διαλέγεσθαι. excipserunt Xenophontea Eusebius Praep. euang. 1 p. 25 et xv p. 853 atque Isidorus Pelusiota Ep. v 202. apud Isidorum scriptum est ἅπερ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι διελέγοντο, apud Eusebium utrobique ἡ περὶ τῶν ἄλλων ὡς οἱ πλεῖστοι διελέγετο, quod ineptum est. orta haec esse possunt ex eo quod apud Xenophontem nunc legitur. fuerit igitur depravatio, ut multorum aliorum quae in libris Xenophontis male scripta sunt, valde antiqua: corrigenda tamen est, et potest corrigi facillime mutato ἥπερ in ὥσπερ. sic omnia rectissima fiunt. οὐδὲ γὰρ περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως ὥσπερ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι διελέγετο. artissime haec omnia cohaerent, ut praepositio in relativa enuntiati parte recte potuerit omitti. ceterum aut fallor aut aliquando de verbis Xenophontis similiter disputata legi. sed frustra memoriam excutio, multos autem libros propter tam pusillum inven-

tum, in quod non potest non incidere qui mentem paullulum intenderit, pervolutare nolo. Ludovicum certe Dindorsium video ἤσπερ illud ignorare.

XXXII. Ad Apollonii Rhodii 1 515 vetus interpres quattuor versus adscripsit quos poeta ἐν τῇ προεκδόσει posuerat,

ἦμος δὲ τριτάτῃ φάνη ἤως τῇδ' ἐπὶ νύκτα
βουθύσιον Ἑκάτοιο καταντόθι δαινυμένοισι,
τῆμος ἄρ' ἐκ Διόθεν πνοιή πέσεν, ὦρτο δὲ Τίφνης
κεκλόμενος βαίνειν ἐπὶ σέλμασι. τοὶ δ' αἰόντες.

ibi πέσεν in πέλεν mutandum esse adnotavit Godofredus Hermannus in exemplari quodam Opusculorum suorum, ubi t. iv p. 241 Hesiodium Βορέαιο πεσόντος Op. 547 explicaverat.

Ad Apollonii 1 694 hoc scholion adpositum est, ἐπήβολος· ἐπι-
τυχῆς καὶ κυρία ἐπὶ τύχῃ τῶν κακῶν, ἣ ἀντὶ τοῦ δεσπόζουσα
καὶ συμφέρουσα. miror ἐπὶ τύχῃ, quod absurdum est, toleratum
esse, cum apertum sit quid scripserit scholiasta. nimirum ἐπὶ φυχῇ.
etenim Apollonii versus hic est, νῦν γὰρ δὴ παρὰ ποσσὶν ἐπήβολός
ἐστ' ἄλωρῃ. prope afuit a vero Georgius Arnaldus cum Lect. Graec.
p. 53 ἐπὶ φεύξει scribendum esse coniceret.

XXXIII. Δέλκος· λίμνη ἰχθυοφόρος περὶ τὴν Θράκην. le-
guntur haec apud Hesychium. adscripsit ad ea Sopingius quod Athe-
naeus III p. 118^b narrat, Εὐθύδημος ἐν τῷ περὶ ταρίχων τὸν δελ-
κανὸν φησιν ἰχθὺν ὀνομάζεσθαι ἀπὸ Δέλκωνος τοῦ ποταμοῦ,
ἀφ' οὗ περ καὶ ἀλίσκεσθαι καὶ ταριχεύμενον εὐστομαχώτατον
εἶναι. ibi Casaubonus coniecit piscem potius a Delco lacu, qui piscosus
ab Hesychio vocaretur, nomen accepisse. abusum eum esse Athenaei
verbis adseverat Mauricius Schmidtus: nam cum tertio ante illa versu
apud Hesychium scriptum sit Δέλλει· καλεῖ, coniungit haec et lenis-
sima emendatione ita se redintegrare dicit, Δέλλοι· Καλλίας δεκάτω.
λίμνη ἢ θειοφόρος (vel ἰχθυοφόρος) περὶ τὴν Ἐρύκην. leni-
tatem istam miror fateorque, si illa lenis emendatio est, asperas et vio-
lentas me valde pertimescere. videntur autem commentum illud Delli
emisisse, quos Callias dicit habere τὰς ἀναφορὰς τῶν πομφολύγων
παραπλησίας βραζούσαις. defervescet et evanescet bulla simulatque
admoveris quod praebet Ordo patriarcharum adcuratius quam olim
factum est nuper a Partheio cum Hieroclis Synecdemo editus p. 59.
ὁ Δέλκων (ἀρχιεπίσκοπος) ἀπὸ τῆς προσπαρακειμένης λίμνης
τῆς Δέλκου. οὕτω γὰρ αὐτὴν ὁ Διογενιανὸς κατονομάζει, Δέλ-
κην. ἀμαθῶς οὖν τὴν ἀρχιεπισκοπὴν φασὶ Δέρκους, τὸ δ' ἀντὶ

τοῦ λ παραλαμβάνοντες. subscriptum est Ordini illi p. 94 ἡ πα-
ροῦσα ἐκθεσις ἐγγόνει ἐν ἔτει ςτ' α' ἐπὶ τῆς βασιλείας κυροῦ
Λέοντος τοῦ σοφοῦ καὶ Φωτίου πατριάρχου. error in his est.
nam si annum illum referimus ad annum Christi DCCCLXXXII, nondum
illo tempore regnabat Leo: si ad annum DCCCXI, quinque ante annis
Photium de patriarchica sede depulerat. facile tamen adducor ut
credam Photii in conscribendo Ordine patriarcharum aliquam par-
tem fuisse. ipsa enim illa Diogeniani commemoratio, id est eius
scriptoris a quo Photius praecipue grammaticam doctrinam repetere
solebat, id paene persuadet. Hesychio autem quod recte exscripsit
nullis iam machinationibus subducetur. Thracia illa ἐπαρχία eo
nomine quod Photius, ut opinor, propter Diogeniani auctoritatem
vituperat, in aliis Episcopatum notitiis a Partheio conlectis dicitur:
ἡ Δέρκος 2 103. 10 114. 11 113. αἱ Σέρραι μετὰ τὴν Δέρκους
(ἀρχιεπισκοπήν) 10 116. ἡ Δέρκους (ἀρχιεπισκοπή) apud Nilum
Doxopatrium 354. ὁ Δέρκων (μητροπολίτης) 6 87. 8 88. ὁ Δέρκω
4 51. addo quae Ludovicus Dindorfius in Thesaurο Stephani suppe-
ditat: Nicephorus Gregoras xv p. 747 Schop. τὰ γε μὴν ἐκ τῶν
τοιούτων στενῶν ἄχρι Σηλυβρίας καὶ Δέρκου πάντ' εἶχεν ἡδὴ
Καντακουζηνὸς ὑποχείρῳ, πλὴν Χερρονήσου. Iohannes Cantacu-
zenus III p. 499 Schop. εἶλε δὲ καὶ τὴν ἐν τῇ Δέρκῃ τῇ λίμνῃ
πόλιν καὶ φρούριόν τι ἕτερον οὐ μακρὰν Βυζαντίου Ἐμπυρί-
την προσαγορευόμενον. idem III p. 518 καὶ στρατιὰν κατα-
λιπὼν ἐν Πηγίῳ καὶ Ἀπαμείῳ καὶ Ἐμπυρίτῃ καὶ τῇ πρὸς τῇ
Δέρκῃ λίμνῃ πόλει. Hesychianum autem illud δέλλει· καλεῖ mu-
tandum esse in δέλλει· βάλλει evicit Bergkii in commentatione de
titulo Arcadico anno MDCCCLX edita p. XII, ubi ἐσδέλλοντες ἐς τοῖ ἐρ-
γοι, quod in tituli v. 51 scriptum est illius aliarumque Hesychii Ety-
mologique glossarum comparatione explicavit.

XXXIV. In commentariolo quod indici scholarum in universitate
litteraria Berolinensi aestate anni MDCCCLV habendarum addidi acumen
declaravi quo Ovidius Fast. III 465 ss. liberaliter eruditus quibus pla-
cere volebat hominibus pulchrum Catulli carmen in mentem revocavit,
similique inventi elegantia qua ibi quae Catulli Ariadna loquitur quasi
ad rerum gestarum fidem referuntur Martem Met. XIV 812 ss. et Fast. II
487 s. ea repetere memoravi quae Iuppiter olim dixerit: dixit autem
in Annalibus Ennii. sed nescio qui factum sit ut obliviscerer duorum
aliorum carminum in quibus vetustioris poematis memoria similiter
admiscetur. nam quod in Sulpiciae satira v. 32 legitur, *aut frustra*

Veneri mendaxque Diespiter olim 'Imperium sine fine dedi' dixisse probatur, dixit illud Iuppiter Vergilii Aen. I 279. dixit autem Veneri: unde quod in Sulpiciae versu scriptum erat *uxori* homines docti in *Veneri* recte mutarunt. nam *ueneri* et *uxori* tam inter se litteris similia sunt ut multo sit credibilis librarium aliquem peccasse quam doctam mulierem in repetenda notissimi carminis memoria lapsam esse. alter poeta cuius meminisse debebam Phaedrus est, qui in praefatione libri III v. 27 ita loquitur, *sed iam quodcumque fuerit, ut dixit Sinon, Ad regem cum Dardaniae perductus foret, Librum exarabo tertium Aesopi stilo, Honori et meritis dedicans illum tuis*. Sinonis, a cuius commemoratione multo melius erat abstinere, haec sunt Aen. II 77, *cuncta equidem tibi, rex, fuerit, quodcumque fatebor Vera*.

Quoniam autem ad Phaedrum forte delatus sum, duos eius versiculos conabor emendare.

Initium praefationis libri II ita scriptum legitur,

*Exemplis continetur Aesopi genus,
nec aliud quicquam per fabellas quaeritur
quam corrigatur error ut mortalium
acuatque sese diligens industria.*

frustra fuerunt qui *Aesopi genus* explicare studuerunt, quod autem Benteius scripsit, *humanum genus*, per se quidem optimum est, sed veri caret similitudine. mihi librarius a Graeco vocabulo ad Aesopi nomen aberrasse, Phaedrus autem scripsisse videtur

Exemplis continetur apologi genus.

nam etiam non commemorato antea Aesopi nomine non obscurum est quod postea dicitur *equidem omni cura morem servabo senis*: neque putavit obscurum esse Benteius. similiter autem Phaedrus locutus est in praefatione libri III v. 33, *nunc fabularum cur sit inventum genus Brevi docebo*.

Fabularum a Perotto servatarum decimae initium ab Orellio ita scribitur,

*Quum castitatem Iuno laudaret suam,
iocum agitando causam non reppulit Venus,
nullamque ut adfirmaret esse illi parem,
interrogasse sic gallinam dicitur.*

ineptum est quod addit sententiam requirere videri *esse sibi imparem*. sed turpius etiam peccavit in procudendo altero versu, quem bellissimum fecit. scriptum est in Vaticano sylloges Perottinae exemplari

Iocunditatis causam non repellit Venus, in Neapolitano *causa* esse dicitur. inde facili opera eruitur

iocunditatis ansam repperit *Venus*.

ansam repperit Phaedrus dixit ut Plautus Pseud. iv 4 9 *occasionem repperisti* et similia alii.

XXXV. Symmachus in oratione qua senatui pro consulatu patri decreto gratias agit cap. 4 (p. 31 ed. Maii a. MDCCCXLVI, p. 43 Nieb.) haec dicit senatus et Gratiani, qui senatus voluntatem conprobaverat, laudes tumida oratione complectens, *ubi sunt qui falsa animis imbiberunt, magis efficacem esse audaciam factionis quam voluntates bonorum? nempe fecit repulsa virtutem, et contra ambitus omnis ignavus est. quod honeste poscitur feliciter impetratur. hoc ius patriciae genti tempora reddiderunt. postulatio vestra iudicium est. impetrabilius cuncta nunc petitis quam aliquando iussistis.* non restituit Maius oblitteratum ex parte verbum cum *fecit* illud scripsit: neque enim nascitur inde ulla tolerabilis sententia. perspicuum est Symmachum scripsisse *nempe* fugit *repulsa virtutem*, nimirum ut in memoriam auditoribus revocaret illud Horatianum *virtus repulsae nescia sordidae intaminatis fulget honoribus*. ceterum si mihi tam constaret Symmachum *econtra* dixisse quam constat eos falli qui hoc verbum etiam ab ultimis antiquitatis temporibus ablegant, putarem sane eum non *et contra* scripsisse, sed *econtra*, oratione ad intellegendum multo faciliore, cuius haec est sententia, ‘repulsa abest a virtute, e contrario invalidus est nihilque proficit ambitus.’ Horatii autem memor fortasse fuit Symmachus etiam in Laudibus in Valentinianum 1 1: certe cum legimus *ibi primum tolerans solis et pulveris esse didicisti*, sponte incidit Horatianum illud *patiens pulveris atque solis*.

XXXVI. Alius carminis Horatiani memor fortasse erat Firmicus Maternus cum in libro de errore profanarum religionum cap. 7 Proserpinae raptum narravit: certe quod ibi male scriptum est facile corrigas si Horatii memineris. *in hoc loco* inquit *cum a Plutone virgo prope vesperam fuisset inventa, vi rapitur et superimposita vehiculo, scissis vestibus, laceratis crinibus, ducitur, nec reservati unguis contra amatorem rusticum aliquid profuerunt nec clamor atque ululatus adiuvit nec ceterarum strepitus puellarum.* fuit cui reservati illi unguis tanto opere placerent ut adfirmaret lepide dici reservatos a puella tamquam arma in casus periculi. haud sane optimus scriptor est Maternus, sed tam inlepida ac stolidi ei attribuenda non sunt. immo scripsit *resecati unguis*, quemadmodum Horatius se cantare dixit *proelia*

virginum sectis in iuvenes unguibus acrium. nam decantatum illud *strictis* Bentleii hominibus subtilis iudicii atque ipsi adeo Hemsterhusio verum videri potuisse valde miror: ipsum Bentleium constat postea opinioni suae, qua elegantia carminis pervertitur, merito diffisum esse. *unguium resecandorum causa* dixit Valerius Maximus III 2 15. nequis autem *resecati* quod ex *reservati* faciendum esse censeo eo redargui putet quod *resecti* potius dicendum fuerit, non desunt illius formae exempla. scriptum est apud Apuleium Metam. I 13 *praesecata gula*, in gratiarum actione quam Eumenius Constantino Flaviensium nomine obtulit cap. 11 *sicut aegra corpora et onerata stupentium torpore membrorum resecata aliqua sui parte sanantur.* in glossis Cyrilli est *ἐκτετμημένος execatus.* apud Catonem de re rustica cap. 42 legimus *execaveris*, apud Columellam V 9 2 *secaturus*, in Cyrilli glossis *ἀπότμησις prosecatio.*

XXXVII. Rutilius Lupus I 19 exemplum paromologiae adfert ex Hyperidis aliqua oratione sumptum, quod nunc ita scribitur, *sume hoc ab iudicibus nostra voluntate, neminem illi propiorem cognatum quam te fuisse: concedimus officia tua in illum nonnulla exstitisse: stipendia vos una fecisse aliquamdiu nemo negat. sed quid contra testamentum dicis, in quo scriptus hic est?* et paullo sane melius ita interpungitur quam olim factum est ab eis qui *concedimus* cum priore enuntiato coniunxerunt, sed *post voluntate* interpunxerunt. verum ne ista quidem oratio probabilis est. nam in hac aequalium sententiarum continuatione membra etiam orationis adcuratius exaequanda erant. sensit hoc quodammodo Fridericus Iacobus recteque statuit post *exstitisse* aliquid omissum esse: sed cum *viceris* excidisse credidit, neque quae-sivit quomodo id intercidere potuerit neque ad eam orationis formam satis attendit quae in reliquis membris perspicua mihi videtur esse. excidit potius verbum inter easdem paene litteras scribendumque ita est, *sume hoc ab iudicibus nostra voluntate, neminem illi propiorem cognatum quam te fuisse: concedimus. officia tua in illum non nulla exstitisse: esto. stipendia vos una fecisse aliquamdiu: nemo negat.*

Aliud Rutilii exemplum me emendasse multo minus confidenter adfirmo: immo ubi Ruhnkenius se nihil ingenio adsequi quod veri quadam specie blandiretur fassus est verique indagacionem acutioribus commisit tutissimum sane est non subire coniciendi errandique periculum. proferam tamen quae si non habebuntur vera (neque ipse certa esse puto), at probabiliora tamen fortasse videbuntur quam quae ab aliis excogitata sunt. exemplum dialyseos I 15 hoc adfertur ex

Daphnidis nescio cuius oratione, *quid autem me convenit facere. Byzantii? subire publicae causae iudicium, magno nomini adversariorum fortiter resistere, non vereri periculum, diligenter posteritatis crescere, non minas extimescere, constanter in causa pro vobis perseverare? omnia feci, vestrum commodum spectans. tamen non desunt qui ex tantis meis officiis aliquid velint vituperare.* Ruhnkenio nomini in *molini* mutandum esse videbatur, aliis alia placuerunt: simplicissimum est scribere *magno* agmini *adversariorum fortiter resistere*. mendum ortum est ex ultima syllaba verbi quod est *magno*. tum deplorata dicit Ruhnkenius illa *diligenter posteritatis crescere*. sed non ineptum certe erit *diligentem prosperitatis vestrae esse*: neque mirum est aut inexplicabile genus depravationis.

In pulcherrimo characterismo Lyconis II 7 quod p. 16 15 *pauci* in *fuci* mutandum esse dixeram miror ab Halmio non acceptum esse. minus fortasse dubitabit vir egregius si reputaverit quam frequenti quamque ad Lyconis orationem apta proverbii consuetudine dicantur *κρηῖνες*. plurima exempla Ruhnkenius congegit in Timaeo p. 158. reputandum etiam illud est, non Latino scriptori, sed Graeci scriptoris interpreti restitui illos fucos.

In versibus quos II 6 reparandos esse Halmio persuasi quod scriptum erat *parit odium* non recte mutavi traiectionis verbis. immo mollior etiam hic est versiculus,

haec facinori iuncta parit odium: inde exitium nascitur.

Addo de his rhetoribus quod non meum est, sed vellem esse meum. apud Iulium Rufinianum § 27 haec leguntur, *ἐπιτροπή*. *haec fit cum figurate concedimus quod velit quis faciat, ut Vergilius Aeneidos primo 'sequere Italiam ventis, pete regna per undas.'* adnotavit Ruhnkenius 'immo IV 381.' ita est profecto: sed Rufinianus nihil peccavit. scripsit enim *ut Vergilius 'i, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.'* sed *i* illud male intellectum fecit ut librarius aliquis inepte sedulus scriberet *Aeneidos primo*. perspexit rem Martinus des Amorie van der Hoeven in Specimine emendationum in scriptores veteres quod Amstelodami anno MDCCCXLIX edidit p. 8. solet autem Rufinianus ubi Vergiliana adfert solum poetae nomen ponere neque umquam carminis nomen aut libri numerum addit.

XXXVIII. Ad Iuvenalis Sat. 2 142 adscriptum habemus hoc scholion. *steriles mulieres februantibus lupercis se offerebant et ferula verberabantur, hoc nomine qui infra tectum multi seminis credit contractus ad fecunditatem dandam.* multae sunt multorum de deprava-

tissimis verbis opinationes, sed vanae omnes. scribo *hoc nomine* quia fructum *multi seminis* creditur conducere contactu ad *fecunditatem dandam*. certum est quia *fructum*: reliqua etiam aliter scribi possunt.

In scholio ad Sat. 4 38 adscripto libri habent *meminit hoc Valerius Martialis in epigrammate his vero sibi finit, Flavia gens* etc. ex vero sibi faciendum esse *versibus* Pithoeus vidit: scribendum deinde esse *finito* neminem vidisse miror.

Similiter completo verbo cuius ultima littera periit restituo in fabula quae ad Sat. 6 526 adnotata est *Iuppiter Iunonem* flexit *petitu*: *indulsit pelici*. libri habent *dilexit petit*. prius verbum olim correxi: vocabuli quod est *petitu* exempla congegit Dederichius introd. in Dictyn p. XLIX.

XXXIX. Apud Arnobium VII 12 in vetusto libro haec scripta sunt, *si ex duobus facientibus res sacras hoc est unus et locuples, alter angusto lare, sed innocentia fuerit et probitate laudabilis, centum ille caedat boves totidemque cum agniculis suis matres, tus pauper exiguum et odoris alicuius unam concremet glaebulam, nonne erit consequens ut debeat credi, si modo nihil numina nisi praemiis antecedentibus praestant, ut favorem suum commodent locupleti, avertant a pauperculo lumina, quem restrictum non animus sed familiaris rei necessitas fecit?* inepto illi *hoc est* Sabaeus substituit *honestus*. mirarer id postea propagatum esse nisi scirem hominibus doctis in Arnobii libris monstrosa multa placuisse. tandem intellectum est non *honestum*, sed *scelestum* dici debere illum locupletem. sed *scelesti* vocabulum in illo *hoc est* non potest latere. scripsit Arnobius *si ex duobus facientibus res sacras nocens unus, set locuples*.

Inepta partim sunt quae in eodem libro cap. 18 leguntur, *si enim honoris et reverentiae causa mactantur diis hostiae, quid refert aut interest cuius animalis e capite luatur hoc debitum, cuius ira offensioque ponatur? an numquid alterius alteri minus gratior et iucundior sanguis est, alteri vero alterius voluptatem infundit et gaudium?* sed non minus inepta sunt quae ut perversa oratio corrigeretur proferri vidimus. veluti qui nuper confidenter pronuntiavit *minus* post *gaudium* traiciendum esse non animadvertit, quod tamen in propatulo erat, ob stare ei opinioni duplex illud quo Arnobius usus est *alteri*, quo servato traiecit *minus* sententiam efficit absurdam. scribendum est *an numquid alterius alteri munus gratius et iucundius sanguis est, alteri vero alterius voluptatem infundit et gaudium?* postquam *minus* factum est ex *munus* non mirum est reliqua etiam verba depravata esse.

XL. Bartholomaeus Kopitar anno MCCCXXXIX Vindobonae librum edidit quem, ut solebat mirabilia consecrari, ita inscripsit, 'Hesychii glossographi discipulus et ἐπιγλωσσιότης Russus in ipsa Constantinopoli sec. XII—XIII.' in eo libro p. 65 ex codice Laurentiano saeculi XII, qui praeter alia Apollinaris Sidonii opuscula continet et a Bandinio Cod. Lat. II p. 364 commemoratus est, duodeviginti versus attulit a Furia secum communicatos. inscripti sunt in codice ita, *Epistola regis Avarorum directa ad imperatorem Romanorum*. putavit se eos versus primum divulgare. atqui leguntur in Corippi Laudibus Iustini minoris libro III inde a v. 271. ad quos Corippi versus Fogginus adnotavit Eliam Vinetum carminibus Sidonii a se Lugduni anno MDLII editis p. 355 aliorum poetarum carmina non nulla ex codice Santonensi desumpta adiecisse atque inter ea illos duodeviginti versus esse: ibi eodem illo modo quo in Laurentiano libro inscripti sunt. repetiit eos inde Elmenhorstius cum Sidonium anno MDCXVII ederet p. 396. conspirant autem quae Vinetus dedit in plerisque omnibus cum libro Laurentiano, nullo quidem emendandi carminis emolumento. ipse etsi haec eo protuli ne fallax ignoti poematis species alios pariter atque Kopitarem deciperet, utar tamen hac occasione ut ex depravatissimis Corippi versibus unum certe emendem. Iohannidos IV 1074 scriptum est *cecidit resupina duobus Cum genitis Gaetula supraque cadentes Sarcina laxa ruit*. Bekkerus versum ita explendum esse coniecit ut *mater post genitis adderetur*. non dubito Corippum scripsisse *cum genitis* genetrix Gaetula.

XLI. Henricus Keilius in Grammaticorum Latinorum t. IV p. 562 ex vetusto libro Lavantino haec protulit. *De barbarismo ceterisque vitis. Barbarismus est dictio aliqua parte vitiosa uel enuntiatione uel scripto — infantibus scribere debemus, et nonnumquam b adpungimus, et facit b. salsamentum (l. salmentum pro salsamento) quo modo paumentum pro pauimento. de medio subtrahitur syllaba. 'unius ob noxam:' longa esse debuerat ni et loco brevis est posita, antibacchum posuit pro dactylo. olli aliquando ponitur pro tunc illi (cf. Serv. in Verg. Aen. I 254), ut 'olli sedato respondit corde Latinus (Verg. Aen. XII 18).' pernicies scribunt inperiti et faciunt c (geminum add. in marg.) quo modo pati et s ratier (fort. quo modo species facies). feruere corripuit ue, quae naturaliter longa est. transcripsi omnia qualia apud Keilium leguntur, servatis etiam adnotamentis quae interiecit: poterat addere scribendum fuisse non *adpungimus*, sed *adpingimus*, tum *unius ob noxam* et *fervere* Vergiliana esse Aen. I 41, VIII 677, Lucretianum I*

186 *infantibu parvis*, de quibus omnibus Donatus in Arte II 17 p. 392 scribit. nam ad eorum quae Donatus de barbarismo docet explicationem haec pertinere patet, et dixit sane illic Keilius: eadem fere exponit Iulianus Toletanus in Arte II 110. et Donatus quidem dicit barbarismum fieri per detractionem syllabae, *ut salmentum pro salsamento*, per immutationem syllabae, *ut permities pro pernicies*. utrumque repetit Iulianus, apud quem male scriptum est *ut permicies pro pernicies*. peccatum est etiam in codice Lavantino: scripserat aut dictaverat olim magister *permities scribunt inperiti et faciunt b* (id est barbarismum) *geminum* (nimirum *m* pro *n* et *t* pro *c* scribendo), *quo modo faties specties*. illud non credo Keilio, quamquam soleo iudicio eius multum tribuere, *permitem* Plauti et Terentii exemplis confirmatam esse. perniciosum enim esse mihi videtur quorundam studium quo quidquid veteres libri habent sribiliginis ipsi probo et perantiquo sermoni adfinigitur orisque quae paullatim increbruerunt vitia ad Indicam antiquitatem referuntur. *salmentum*, quod commemoravit Faernus in Andriae prol. v. 11, Bentleius sibi inauditum esse dicit: legerat illud, opinor, Faernus apud Donatum. quod antea tamquam subtractae de medio syllabae exemplum adfertur *paumentum pro pavimento* invenitur etiam apud Iulianum: et potest inde aliquantulum capi utilitatis. epithalamium habemus Laurentii et Mariae ab ignoto ignobilique poeta compositum, quod a Nicolao Heinsio ex vetusto Claudiani codice Ambrosiano descriptum Burmannus in Anthologia Latina t. II p. 633 indeque Wernsdorfius in Poetis Latinis minoribus t. IV p. 488 ediderunt. in eo carmine hi versus scripti sunt (56 s.),

*ac modulante melos pariter cesoque pavinto
compede. vox resonet, persultent atria larga.*

quos versus Burmannus ita emendavit,

*ac modulante melo, pariter caeso pavimento,
cum pede vox resonet, persultent atria larga.*

nos barbarismi illius commemoratione eo utemur ut dicamus poetam neque bonum neque saeculi boni aut adsumpto vulgari pronuntiationis vitio *σπονδειαζοντα* ita conclusisse, *pariter caeso pavimento*, aut, si *pavimento* scripsit, corripienda syllaba non multam afuisse a subtrahenda.

Epithalamium illud videtur hodie in nullo praeter Ambrosianum libro scriptum esse. sed fuit sub finem septimi post Christum saeculi exemplar aliquod eius apud Anglos. Aldhelmus enim in Epistula ad Acircium in Maii Classicis auctoribus t. V p. 573 sive in Operibus a

Gilesio male editis p. 306 inter Ionici a maiore exempla ponit *haerescere*, tum addit *ut in Epithalamio 'mellea tunc roseis haerescunt labia labris.'* eundem versum adfert in libro de laudibus virginitatis p. 43 G. versus est Epithalamii 80, ubi Ambrosianus liber *haerescant basia labris* praebuit. antea in Epistula ad Acircium p. 551 M. 288 G. inter dactylos Aldhelmus commemorat *anulus, ut illud Epithalamii 'anulus e digitis tollatur mollibus asper,'* qui versus est carminis 73, habet autem Ambrosianus liber non *e*, sed *et*.

Ad carminis in libro Ambrosiano pessime scripti emendationem post laudabilem Burmanni Wernsdorffique operam non nihil conferre posse videor.

Inde a v. 7 haec leguntur,

*principio generis simili vos stirpe creatos
Florenti Florique patris sat nomina produnt,
matribus et pariter respondet fetus uterque:
nam decuit Mariam sapientem fundere
Calliopenque simul iuvenem proferre*

puto in altero versu *patrum* scribendum esse. postremum Wernsdorffius addito *disertum* complendum esse probabiliter censuit. idem recte statuit in fine paenultimi excidisse nomen quod aliquam sapientiae vel doctrinae significationem haberet: excidit fortasse *Musam*, quod haud rarum est nomen muliebre.

Absurda sunt quae v. 25 legimus,

*te insontes palmam semper tribuere patrono,
te contra adstantem semper timuere nocentes.*

Nodellus Obs. crit. p. 71 *tribuere* in *tenuere* mutandum esse putat. paullo veri similis est apud hunc scilicet poetam scribendum esse *trivere*, pro quo minus inepte *teligere* dixisset.

Inde a v. 60 haec scripta sunt

*tympana, chorda simul, symphonia, tibia, buxus,
cymbala, bambalium, cornus et fistula, sistrum,
quaeque pererratas inspirant carmina voces
huia folligeris exclamant organa vocis.*

de symphonia Isidorus Orig. III 21 14 haec habet, *symphonia vulgo appellatur lignum cavum ex utraque parte, pelle extenta, quam virgulis hinc et inde musici feriunt, fitque in ea ex concordia gravis et acuti suavissimus cantus.* Prudentius contra Symm. II 528 *fluctibus Actiacis signum symphonia belli Aegypto dederat, clangebat bucina contra.* plura praebet Cangii glossarium Latinum. ad explicandum *bambalium*